



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Iosephi Mariae Svaresii, Episcopi Vasionensis, Praenestes  
Antiqvae Libri Dvo**

**Suarès, Joseph Marie**

**Romae, 1655**

Vt Asylum fuerit. 7

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11894**

*Vt Asylum fuerit.*

CAPVT. VII.

Lib. 5. hist. Rem.

Cardul. ad pac.  
ss. Getul. &  
Aman.

Liu. L. 43.

Sueton. c. 4. in  
Tibet.

Numer. c. 35.

Dion. Halic. Liu.  
Virgil. Iuuenal.  
Seru. in Virgil.  
Act. Apost. c. 17.  
Theophil. in In.  
flit.

**E**VI T præterea Asylum Prænestæ, idque Polybius diserte probat, Romanæ Vrbis politiam describens hisce verbis : ἐστι δὲ ἀσφαλεῖα τοῖς φεύγεσιν ἐν τῷ Νεαπολίτῳ, καὶ Πραινεσινῷ, ἐπὶ δὲ Τίβεριν πόλῃ, καὶ τοῖς ἄλλαις, ωφέλειας ἔχοις ὅρμαις. Securitas vero est profugientibus Neapoli, & Prænestæ, etiam Tiburi, & alijs in oppidis, ad quæ sacramenta habent. Romanique ciues exsiliij cauſa ſolum vertere in eas vti liberas Ciuitates solebant. eius rei exempla aliquot proferemus. P. Furius Philus Prætor citerioris Hispaniæ adductus ad recuperatores, & accusatus grauissimis de criminibus, cum dicenda de integro cauſa eſſet, excusatus exsiliij cauſa ſolum vertit, & exſulatum Prænestæ abijt, vti Matienus Tibur. P. Lici-nio Crasso, & C. Cassio Longino Coss. Tiberij Cæſaris pater Prætura functus, cum exitu anni discordia inter Triumuiros exorta eſſet, retentis vltra iustum tempus insignibus, Lucium Antonium Triumuiri fratre-m ad Perusiam sequutus, deditio-ne a cæteris facta ſolus permansit in partibus : at primo Prænestæ, inde Neapolim euasit, seruisque ad pileum fruſtra vocatis in Siciliam profugit. Asyla quidem iſta optimo conſilio instituta tum ad replendas, & augendas colonis Vrbes, tum ad conseruandam hominum vitam. Erant apud Hebræos ſex euafionis ſeu refugij ac receptus Vrbes ex mandato diuino : illuc qui percuſſerant hominem ignoranter ſeſe recipientes ſalui & incolumes erant, atque tuti. Lucum ingentem Romulus acer Asylum eſſe iuſſit. Athenis aram misericordiæ, & Ephesi Dianæ

Dianæ templum Asyla fuisse constat: ne quid dicam de Poneropoli Philippi. Sed cum Asyli ius ex templi celeberrimi veneratione haud dubie ortum sit, ad eius descriptionem interim lectorem differimus.

### *De Arboribus.*

#### CAPVT VIII.

**N**VNC ex ipsa ciuitate in agrum eius lustrandum ac describendum tantisper cōcedemus. Theophrastus omnem Latinorum agrū hisce verbis depingit. ή δὲ Λατίνων ἔθυμος πᾶσα. καὶ οὐ μόνον οἰκεῖον τὸν μέρον, οὐδὲ τὸν θερμακόν τολμακάντα γέρα μόνον τομηστικόν, οὐδὲ εἴδος διανεώσεων Τυρρηνίδων ὑπὸ τὴν τρόπιον. ή δὲ οἴραι τούτου, καὶ ἐλάτην, &c. Latinorum autem ager uniuersus aquis scatet: & planities quidem habet myrtum, atque sciscimam mirandam, (ad fagi genus a nonnullis refertur, quae οἶνον a Theophrasto dicitur, a Gaza sciscima: Plinius Ostryam vocare videtur) tanta namque longitudinis eam secant, ut apta sit ad nauem e Tyrrenicis pro carina. Montana vero regio piceam, & abietem, &c. Hæc Theophrasti verba cum de cæteris agrī Latini partibus intelligenda sint, tum vero Prænestino præcipue conueniunt. Ille enim & qua planitie protenditur, & qua montibus assurgit arbores plurimas, quales Theophrastus describit, & procerissimas etiam nunc producit. cuius rei fidem facit vel vnica illa sylva quæ Ciuitatem proxime adiacet.

Lib. 5. hist. plan.  
c. 9.

L. 13. hist. nat.  
cap. 21. Dodona  
L. 4. c. 11. Fempte  
6. hist. stirp.

C De

